

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XCIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Perpetua sit, DEUM toto pectore precor. Apud nos omnia adhuc mediocria sunt, & donec senex noster Princeps Ulricus vivet, puritatem doctrinæ & concordiam sacra docentium, in hac Academia mansuram incolumem spero. Sed Augusto senæ sublato, successuri, novas Reformationes & mandata proponent, de quibus qui tum vivent, considerationes & actiones necessarias suscipient. In Dania vicina nuptiæ filiarum Regiarum apparantur, ex quibus major natu Elisabetha, Henrico Julio Duci Brunsvicensi, minor, Anna, Jacobo VI. Scotorum regi, mensè Junio & Julio elocabuntur. Sueciæ rex Johannes in Comitibus regni, mensè Februario habitis, de bello adversus Moschum instaurando, deliberavit; nam induciæ quadriennales sequenti æstate exhibunt. Ex Polonia, æquissimis conditionibus dimitti Maximilianum, ajunt. Te oro, ut de Croatia vobis vicina & Boscena, Servia, &c. qui regionum illarum limites sint, fluminibus vel Alpibus definiti, ex peritis pervestigis. De Dalmatia etiam, Istria, & vicinis gentibus, si absq; molestia potes, inquiras. Bene & feliciter vale. In feriis Paschæ, 1589.

David Chytræus.



XCIII.

*S. in Domino nostro Jesu Christo. Clarissime Domine Do-*

*ctor, honorande Domine Compater, amice & frater in Christo omnium charissime.*

**B**reviores expectatione mea tuas accepi literulas 16. Aprilis, in quibus multa desidero, quæ scire percupio. Etsi autem te libenter & merito excusatum, cum propter novum tuum, importunum sanè, hospitem, tum propter occupationes muneris tui, habeo, tamen in secuturis literis tuis de pluribus me certiore facies, saltem ut cognoscam, an omnes meas literas, quas hinc ab initio Septembris ad te dedi, acceperis. Valde enim sollicitus sum, ne fortè interceptæ aut alioqui amissæ aliquæ mearum literarum sint. In diario meo requirere possum, quoties scripserim, soleo enim annotare, sed tamen interdum obliviscor, ad te tamen scribens, non facile. Invenio me 27. Septembris super. anni, & 16. Januarii hujus anni ad te scripsisse. An medio tempore etiam ad te scripserim ignoro, & tamen suspicor. Quia multa me scripsisse recordor, ad quæ responsum expectavi. Ucut est, ad præsentem respondebo. Dominorum & eis adjunctas tuas Decembri ad me scriptas, 18. Januarii accepi, cum biduo ante meas ad te dedissem. Hinc jam intelligis, cur in illis literis nullam de acceptis mentionem fecerim. Nondum enim acceperam. Paulo post me podagra cum chiragra invasit, quæ me in hunc usque diem in lecto deti-

detinet, inde factum est, quòd Dominis non responderim. Significarat etiam Venetus noster, se ante Lyncianum Mercatum non habiturum, per quem mihi honorarium tuto mitteret. Misit ergo nuper ex illo Mercatu fideliter. Accepi unà cum Carniolanorum honorario, 12. April. st. v. Valde igitur commode hic vestertabellarius hodie (sc. 16. Aprilis) ad me venit, quem detinui in crastinum, quòd per eum ambarum provinciarum ordinariis gratiarum actionem scriberem, & ad te quoque & alios amicos adderem. Adsis ergo tabellario, quæso, ut spectantes ad Carinthios exhibeat, alteras Carniolanis destinatas per primam quamque occasionem (credo autem quotidie vos occasionem habere) transmittas. Transmittendæ etiam sunt ad Spindlerum scriptæ. De Jenensi vocatione scripsit mihi nuper Doctor Rheudenus, quòd tuas satis maturè à fratribus, quibus commiseram, acceperit & tibi etiam responderit. Gavisus sum, quòd fides mea omni suspicione liberata est. Ut enim omni homini, ita maximè tibi fidelis ero in omnibus. Amo te, ut cor meum, quod ipsa re comprobare gaudeo. Mylius nunc ibi docet & Mirus etiam, ut heri mihi narratum est. Nicolaus Reufnerus jura profitetur. An & quis ei Argentorati successerit, ignoro. Triste certamen, quod inter Doctorem Jacobum Andream, & hinc ejectos concionatores accensum est, nunc magnas vires acquirit & mutuis criminationibus, attractis & Mansfeldensibus & aliis Saxonibus, ipso quoque Selneccero, horrendum exitum comminatur & plurimos vehementer cum hic tum alibi perturbat. Immiscent se nunc etiam Jureconsulti. Rident nos Papistæ, quòd ira inter nos depectimus. Ego nunc sexagesimum ætatis meæ annum ingressus, DEO sit laus, tristior quidem valde fratrum discordiis & intestinis vulneribus, sed cum mihi neutra pars obtemperet, committo dexteræ excelsi, & spectro ad portum propinquum, ut ad beatas sedes deporter, ubi beata fruar tranquillitate. Utinam apud te in Carinthia vivere daretur. Sed hæc spes vana est. Ne in Carniola quidem habitare conceditur. Austriaci mihi parati erant hospitium dare, sed metuunt, ne & inde me expellant Principes, cum mutuas inter se tradant operas. Tentavi Argentoratum, sed Pappus negat mihi illic hospitium sperandum. Ratisponæ igitur maneo, donec DEO aliud visum fuerit. Neque sanè invitus hic manerem, nisi procerum quidam mihi infensi essent, quòd non omnia, quæ ad motas turbas pertinent, approbare possum. Si enim mihi obtemperatum fuisset, usurarii isti tumultus omnes vitati fuissent. Deinde quòd Doctor Jacobus Calvinismi instigat ejectos, non profectò justam & sufficientem causam habet. Semel exacerbatus animus, omnia in pejorem partem interpretatur. Orthodoxa semper fuit & adhuc est ejectorum doctrina in omnibus partibus, etiamque cum de cœna Domini, tum de persona Christi. Provoquant ad Con-

cordiam, ad scripta Lutheri & Chemnicii, aliorumque rectè sentientium  
 Et certe per occasionem à Doctore Jacobo hic illa quæstio mota  
 fuit. Præcipua enim controversia de usura erat, in qua cum meum consilium  
 peteretur ab ipso Doctore Jacobo, offerebam, me tale daturum, quo facile omnes  
 contenti ex utraque parte forent. Animadvertentes autem quidam ex pro-  
 ceribus, ita futurum, ut retinerentur ministri, quos oderant & ejectos cupie-  
 bant, hoc unum egerunt, ne consilium meum audiretur. Nunc in scriptis  
 status pervertitur, & rixæ rixas pariunt. Equitati non adversari voluerunt  
 ministri, sive è Scriptura, sive ex natura, sive ex Jureconsultorum responsis de-  
 monstrata fuisset. Præcipitancia nocuit. Cum non statim paradoxa appro-  
 bare possent, exurbati sunt, & nunc obijciuntur illis horrenda crimina, ut justè  
 ejecti videantur. Etsi autem illi pernegant & à multis millibus contraria te-  
 stimonia hic & alibi habeant, tamen apud remotos hinc & ignorantes, invisi  
 fiunt, & nusquam habitandi locum inveniunt, vagantur miseri cum suis conju-  
 gibus & parvulis, viri utique docti & boni. Sed hæc tibi in sinum fundo, ut  
 causam scias, cur hinc discedere optem. Augustanæ Ecclesiæ status subinde  
 fit deterior. Frustra expectatur gubernatorum diversæ Religionis animorum  
 emollitio aut mutatio. Domestici conventus nihil boni portendant. Pii in-  
 gemiscunt, exules querulantur, vicini, qui religionis consortes sumus, condo-  
 lemus. Mutatio dexteræ Excelsi. Abruptis querelis, tibi immortales ago gra-  
 tias, quòd tanta & plusquam filiali pietate erga me propendes, & senectutem  
 meam, multis ærumnis & exilio etiam oneratam, omnibus modis allevare &  
 consolari perpetuò niteris. Scripsi heri ad Chytræum bene longas literas, in  
 quibus tuam erga me fidem ac pietatem laudavi, & dixi nullum filium fidelio-  
 rem & gratiorem patri suo se præstare posse, quàm tu mihi, quem sanguine non  
 attingas, præstes. Omni tempore tui memor sum, & præ gaudio sæpius illa-  
 chrymo super tanta tua pietate, & DEO meo gratias ago, qui haud dubie ad  
 hoc te suscitavit mihi, ut meam senectutem inopem, infirmam, morbosam &  
 afflictam recreares. Non habeo inter propinquos & sanguineos meos, qui vel  
 millesimo gradu charitatis talem se mihi præstet. Liberi adhuc sunt junio-  
 res, quàm ut possint. Non est in me facultas, qua tibi dignas & meritas gra-  
 tias referre possim, agam & habebo semper maximas, & DEUM semper oro &  
 orabo, ut uberrima renumeratione tibi tuisque retribuatur. Plura quæ scribam  
 non habeo. Rogo ut mihi numerum uvarum, quas ex sancta tua vite adhuc  
 superstites habes, in proximis literis significes, & ex me viteque mea (ex qua  
 unum filiolum, Eliseum nomine & duas filias adhuc, DEO laus, superstites ha-  
 beo) tuam officiose & amanter salutes. D. Paulo à Danhausen, Generosis-  
 simo Baroni, & Domino à Dieterichstein, qui me salutare solet, singulariter ex  
 me salutem cum debiti honoris exhibitione dici volo. Bene vale, Clarissime  
 Domine

A. 1589.

Domine Doctor, & præsidium & dulce decus meum. Datæ Ratisponæ 16.  
Aprilis, anno 1589.

T. E.

reuerenter colens

Jeremias Hombergerus.



XCIV.

(Erasmo.)

S. D. Reuerende & clarissime vir, amice carissime.

GRatiam tibi habeo, quod dum in his terris possumus, per literas colloqui mecum non dedignaris. L. Beuterum, ut veteri illo solennis auersationis verbotur, *νὸν ἀειδιοντοπράμιστα*. Sturmii laudes scribis Oratione in publicis Scholæ progressibus celebratas esse. Ejus exemplum, si extat, videre cupio. D. Georgium Obrechtum, affinem tuum, si delectari lectione eorum, quæ in Saxonia & vicino orbe Arctoo his tribus proximis annis, memorabilia acciderunt, existimes, quæso ut adjunctum libellum ipsi reuerenter meis verbis salutato exhibeas, & me amicitia illius cupidum esse ostendas. De fratre Philippo in Jenensem Academiam evocando, quod scribis, utinam feliciter succedat. Sed vereor, ne *μεγάλη τυραννὶς ἀνδρῶν τέκνα* *ἡμῶν* ipsum quoq; in Turciæ finibus retineant. Academiæ illi, duorum excellentium ingeniorum, Nicolai Reusneri, & Georgii Mylii conjunctionem gratulor. Witebergæ & in reliqua Saxonie electoris ditione, qualis ecclesiarum status, & docentium conditio sit, ex aliis haud dubie cognovisti. Apud nos omnia antiquum obtinent. Et dum hic senex princeps Ulricus vivet, DEO iuvante obtinebant. Daniæ, Norvvegiæ & Sueciæ provinciarum *αὐτοψίᾳ* brevissimam mitto, & DEO nos docendos & regendos commendo. Bene valè. Die Solstitii, Anno 1589.

David Chytræus.

XCv

Salutem in servatore Christo. Reuerende & clarissime

D. Doctor, & frater plurimum colende.

VALdè mihi placet institutum tuum quòd in refutatione Neostadiana, quantum quidem occupationes patiuntur, progredieris, & principem gregis nostri Christi

T t t 3

stum